

contestatur, quia vivit. 9. Et (ut ita dictum sit) per Abraham, et Levi, qui decimas accepit, decimatus est: 10. adhuc enim in lumbis patris erat, quando obviavit ei Melchisedech. 11. Si ergo consummatio per sacerdotium Leviticum erat (populus enim sub ipso legem accepit), quid adhuc necessarium fuit, secundum ordinem Melchisedech aliam surgere sacerdotem, et non secundum ordinem Aaron dici? 12. Translato enim sacerdotio, necesse est ut et legis translatio fiat. 13. In quo enim hæc dicuntur, de alia tribu est, de qua nullus altari præsto fuit. 14. Manifestum est enim quod ex Juda ortus sit Dominus noster: in qua tribu nihil de sacerdotibus Moses locutus est. 15. Et amplius adhuc manifestum est, si secundum similitudinem Melchisedech exurgat alius sacerdos, 16. qui non secundum legem mandati carnalis factus est, sed secundum virtutem vite insolubilis. 17. Contestatur enim: Quoniam tu es sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech. 18. Reprobatio quidem fit præcedentis mandati, propter infirmitatem ejus, et inutilitatem: 19. nihil enim ad perfectum adduxit lex: introductio vero melioris spei, per quam proximamus ad Deum. 20. Et quantum est non sine iurejurando (alii quidem sine iurejurando sacerdotibus facti sunt; 21. hic autem cum iurejurando, per eum qui dixit ad illum: Juravit Dominus, et non penitebit enim: Tu es sacerdos in æternum), 22. in tantum melioris testamenti sponsor factus est Jesus. 23. Et alii quidem plures facti sunt sacerdotes, ideoque quod morte prohiberentur permanere: 24. hic autem eo quod maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium. 25. Unde et salvare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum: semper vivens ad interpellandum pro nobis. 26. Talis enim decebat ut nobis esset pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus, et excelsior cælis factus: 27. qui non habet necessitatem quotidie, quemadmodum sacerdotes, prius pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi: hoc enim fecit semel, seipsum offerendo. 28. Lex enim homines constituit sacerdotes infirmitatem habentes: sermo autem iurisjurandi, qui post legem est, Filium in æternum perfectum.

1. HIC ENIM MELCHISEDECH. — Commode in fine præced. cap. Apostolus iniecit mentionem Melchisedech, ut ad illum transiret et ejus sacerdotium Christi antitypum explicaret: de illo enim dixerat cap. v, 11: «De quo nobis grandis est sermo.» Illum ergo grandem, subilem et allegoricum de Melchisedech sermonem hic proponere et enucleare aggreditur, ut ostendat, quibus in rebus Melchisedech gesserit typum Christi, indeque Christi et sacerdotii Christi dignitatem et præcellentiam præ sacerdotio legali et Aaronico demonstrat (1).

REX SALEM. — «Salem,» inquit S. Hieronymus, epist. 126 ad Evagrium, non est Jerusalem, sed oppidum juxta Scythopolim (quod alio nomine dicitur Sichem, vel Sichima, ubi Jacob pavit greges, et Dina rapta ac vitulata est, ut idem Hieronymus ait in *Lectis Hebræicis*), in quo ostenditur palatium Melchisedech, ex magnitudine ruinarum veteris operis ostendens magnificentiam. Juxta hæc Salem capizavit quoque S. Joannes Baptistam in *Ennon*, Joan. cap. iii, 23. Verum Hieronymus, Hippolytus, Eusebius, Apollinaris, Eustathius, quos ibidem citat S. Hieronymus, Josephus quo-

(1) Hic Melchisedech refertur ad phrasim vers. 8 ultimam, manet sacerdos, etc.

que, lib. VII *Belli*, cap. XVIII, et passim Hebræi, ac veteres Patres recentiores etiam permulti, ut Abulensis, Pererius, Ribera, ac in primis Andreas Masius exactus urbium et terræ sanctæ persecutor, in cap. x *Josue*, docent Salem hæc esse Jerusalem. Unde et Chaldaei *Gen.* cap. xiv, vers. 18, verit, et *Melchisedech, rex Jerusalem*. Imo Jerusalem conditam esse a Melchisedech tradit Josephus loco citato, a quo vocata est *Salem* (2), deinde ab alio Jebus, ac denique ex *Ἰερὺς Salem* et *ירושלם* *iere*, dicta est *Jerusalem*, ut dixi *Galat.* iv, 26. Quare palatium illud Melchisedech, quod in Sichem ostendi ait Hieronymus, non a Melchisedech conditum, sed ejus nomine insignitum esse, vel a Ieroboam, vel ab aliquo alio posterorum regum, verisimile est. Idque, ut videtur, hæc de causa, ut scilicet sibi vindicarent Melchisedech, quasi ipse non fuisset in Salem, sed in Sichem, ubi ipsi regnabant. Sic enim de Homeri patria

(2) «Salem videtur fuisse tota regio a Jebusis, Chittæorum affinitibus, occupata, vel etiam hujus regionis sedes regia, hanc præcui a plantitie, quæ antea Sildiniorum vallis, deinde mare Salsum dicebatur, ubi Sodoma ac Gomorrhæ, Adamoet Sebim erant sitæ; quæ urbes sequenti forte tempore deleta desit esse, aut aliud adepta est nomen. Nisi plane Salenorum terra, a Saulo asiaticam quærentem peragrata, I *Sammel*, ix, 4, et a Græcis dicta *Σαλαμίς*, intelligatur.» Hæc Resenmillerus ad h. h.

certant septem Græciæ urbes, et quæque eum sibi vindicat, summeque civem esse contendit.

Hæc secunda sententia magis respondet allegorie Christi. Congruè enim in Jerusalem rex et sacerdos fuit Melchisedech, ut admiraretur Christum in eadem urbe regnaturum a ligno, et sacrificaturum seipsum in ara crucis pro redemptione totius mundi.

Dices: Abraham suos hostes persecutus est usque Dan, que postea dicta est Casarea: hæc autem vicina est Sichimis, non autem Hierosolymæ.

Respondeo: Abraham revertens a cæde regum redibat ad convallem Mambre, ubi habitabat; inde autem non longe aberat a Jerusalem, ad quam, licet paulo remotiorem, ire voluit, tum ut gratias Deo ageret pro victoria adepta, idque Hierosolymæ, hic colebatur verus Deus, cum in reliqua Chanaan colerentur idola; tum excitus fama Melchisedech, qui erat rex et sacerdos Dei altissimi, illo tempore celeberrimus. Melchisedech autem audiens adventare Abraham, ei benevolentie et honoris causa occurrit. Rursus in Salem, puta in Jerusalem, regnavit Salomon, qui fuit typus Christi, et a Salem vel Salom, id est fuit typus Christi, et a Salem vel Salom, id est pax, dictus est Salomon, id est pacificus. Unde et Arabes ac Turcæ suos Imperatores a Salomone vocant *Solymanos* vel *Selymos*, atque a Salem vel Salom ipsos Turcæ vocant *Musulman*, quasi dicant, salvati, quibus est pax et salus. Cum enim Mahomet suum dogma propagaret, gladio jussit occidi omnes nolentes amplecti hoc ejus symbolum: *Alla ilia Alla, Mohammed rassul Alla*, (quod etiamum Mahometani magnis vocibus inclamant), id est, *Non est Deus nisi Deus, et Mahomet Apostolus ejus*. Quicumque ergo id amplectebatur, dicebatur *musulman*, id est, liberatus a gladio et periculo mortis, quam reluctantibus intendebat Mahomet.

SACERDOS DEI SUMMI. — *ἱερεως*, id est, altissimi. Citat verba *Genes.* xiv, vers. 18, ubi licet Calvinus et Novantes Hebræum *כהן* *cohen* vertant, *princeps*, q. d. Erat Melchisedech princeps Dei altissimi; tamen vertendum esse, «sacerdos,» non princeps, patet ex Paulo hic, et est *ἱερεως* *Dei altissimi*, id est, Deo dicatus et consecratus, quod sacerdoti non principi convenit. Rursus, ex eo quod obtulit panem et vinum in sacrificium, in quo typus fuit Christi. Inde enim *Psal.* cix, dicit Pater ad Christum: «Tu es (non princeps, sed) sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech.»

2. CUI ET DECIMAS OMNIUM (spoliorum, quæ casis quinque regibus ceperat) DIVISIT ABRAHAM. — Abraham, licet esset sacerdos, et sæpe sacrificasset, agnovit tamen Melchisedech esse sacerdotem et pontificem eum, unde illi tanquam se superiori et pontifici decimas dedit.

QUI INTERPRETATUR REX JUSTITIE. — Melchisedech enim hebraice componitur ex *מלך* *melech*, id est rex: unde addito *sed* non affixo, sed paragogico,

fit *melech*, ut concinnior fiat compositio, et *רַיְסֵדֶךָ* *sedec*, id est, justitie, q. d. Rex justus vel justissimus. Unde de eo sic scribit Josephus: «Primus Hierosolymæ conditor fuit Charanæorum dynastia, qui patria lingua Justus appellatus est, erat quippe talis.» Unde patet Melchisedech proprium fuisse illi regi nomen, non autem commune regum illius urbis: quomodo commune regum Palestine tempore Abraham nomen erat Abimelech, regum Egypti Pharaeo, et postea Ptolomæus.

3. SINE PATRE, SINE MATRE, SINE GENEALOGIA. — Ex eo quod Melchisedech hic dicitur *ἀπόρων* *καὶ ἀπατρῶν*, id est, sine patre et sine matre, nonnulli putarunt Melchisedech esse Spiritum Sanctum: hic enim productus est non per generationem, sed per spirationem, ideoque non est filius habens patrem, sed est Spiritus Sanctus procedens a Patre et Filio. Ita sensit Auctor *Questionum novi et veteris Testamenti*, Quest. CIX, qui extat tom. IV operum S. Augustini. Verum ex hoc dogmate et aliis similibus patet hunc librum non esse S. Augustini, sed auctoris suspecti de hæresi. Idem fere senserunt Melchisedechiani, qui docuerunt Melchisedech esse virtutem quamdam Dei, Christo majorem, ex eo quod Christus dicitur «sacerdos secundum ordinem Melchisedech,» quasi Christus hominum, Melchisedech vero angelorum sit advocatus apud Patrem. Ita refert Epiphanius, lib. II, hæres. 53.

Secundo, Origenes et Didymus, teste S. Hieronymo, citata epist. ad Evagrium, putarunt Melchisedech esse angelum. Sed utraque hæc sententia erronea est. Nam ex iis quæ hic, et *Gen.* xiv, narrantur de Melchisedech, clarum est eum fuisse verum hominem.

Tertio, Samarita, teste Epiphanio, et quidam Hebræi, teste S. Hieronymo supra, quos sequitur Lyranus, Abulensis et alii, opinati sunt Melchisedech esse Sem, filium Noe: Sem enim, imo et ipsum Noe, vixisse et perfigisse usque ad tempora Abrahami certum est: Abraham enim natus est anno post diluivium 292, Noe autem 330 annis post diluivium vixit; nam sexcentesimo Noe anno factum est diluivium: Noe autem vixit 950 annos, ergo diluivio supervixit 330 annos, ac consequenter 38 vixit cum Abrahamo. Similiter Sem post diluivium vixit 302 annis; nam tempore diluivii erit pene 100 annorum; vixit autem universim 600 annos, ergo 35 annis supervixit Abrahamo. Mortuus est enim Abraham ætatis annum 175, post diluivium anno 467. Si dicas, falso de Sem dici, quod sit sine patre et matre; patrem enim habuit Noe, cumque expressum in Scripturis: respondent: Sem sub nomine Sem dici in Scriptura habere patrem, scilicet Noe, non autem sub nomine Melchisedech: quia in Genesi, ubi ejus genealogia textitur, non Melchisedech vocatur, sed Sem. Sed hoc nimis exile, subtile et frigidum est: nec enim nomen, sed hominem et personam intelligit et curat S. Scriptura. Adde, non Sem,

Error Melchisedechianorum et Auctoris questionum novi et veteris Testamenti, Melchisedech esse Spiritum Sanctum.

sed Cham possedisse Jerusalem, totamque Chananaan. Hec enim dicta est a Chananeis incolis, qui orti sunt a Chanaan, filio Cham: Sem autem ejusque posterii habitaverunt trans Euphratem, in Oriente, ut docet Josephus, lib. I *Antiq.*, cap. vii.

Quarto, recentior quidam censet Melchisedech esse Henoch, qui raptus est in paradysum, ideoque de eo hic dicit, quod non habet finem dierum: Henoch enim non est mortuus, sed vivit adhuc in paradiso. Verum hæc plane nova et inaudita est sententia, omnibus Patribus et interpretibus incognita, ac sanctæ Scripturæ repugnans, quæ Henoch raptum narrat in paradysum, ut sub finem mundi redeat decertaturus contra Antichristum, et dei gentibus penitentiam. Vide Nostrium Sullanum in Præfatione tom. V *Annatum*, ubi hanc opinionem multis et validis argumentis confutat.

Respondeo ergo, et dico cum Josepho, S. Dionysio, *Cathec. Hierarch.*, cap. ix; Epiphonio, *heresi 31*; Theodoro, *in Gen.*, Quæst. LXIII, alisque Patribus civitatis vers. 1; Melchisedech fuisse aliquem ex regulis Chananeorum, scilicet regem Salem, sive Jerusalem, ex eisque fuisse oriundum; dum; dici tamen sine patre et matre, non quasi is caruerit, sed quia ejus pater, mater et genealogia non describitur in Scripturis; et quia *Gen.* cap. xiv, repente enim induit Scriptura, non præmissa ejus stirpe et genealogia, nec natiuitate aut morte ejus indicata, imo nulla uspiam alibi, vel ante, vel post ejus facta mentione, ut ex ipsa ejus historia, de Olympo lapsus, et in Olympum receptus videatur Melchisedech. Hoc enim significat Græcum ἀγενελογος, scilicet, eum cujus genealogia non recensetur, non autem eum qui stirpe et genere caret: γενελογος enim idem est, quod recensere et describere genealogiam. Unde aperte hoc explicans Apostolus, vers. vi, ait: « Cujus autem generatio non annumeratur. » Hinc et Syrus clare hic vertit, *cujus nec pater, nec mater scribuntur in generationibus, neque initium dierum ejus, neque finis vite ipsius*. Sic terræ filium dicimus eum, qui ignotus est, obscuri generis et incognitæ prosapie. Cum enim Scriptura in veteri Testamento solet aliorum, præsertim virorum illustrium, genus, patrem et matrem recensere, id ipsum non fecit: Melchisedech; idque non sine causa et mysterio, quod hic explicat Apostolus.

Epiphanius, *heresi 35* et 67, ex traditione, sed incerta, ut videtur, patrem Melchisedech Hiraclam, matrem Astaroth vel Asteriam nominatam scribit. Denique per genealogiam accipere præsupponit non tam parentum quam filiorum Melchisedech: nam de patre et matre ejus jam dixerat.

Quæres, quo mysterio, vel qua de causa nomen patris et matris Melchisedech subicit Scriptura? Respondent Judæi, id fieri honestatis causa, quia, inquit, Melchisedech ex fornicatione et meretricis natus erat. Sed hoc est commentum eorum incredibile. Quomodo enim talis evectus

fuisse ad regnum et pontificatum? respondetur ergo, ad litteram hæc causa dari potest, quod Scriptura fere tantum Judæorum historiam et genus pertinet usque ad Christum, ut consistat eum ex Abraham, Juda et Davide esse viduum, sicuti isdem promiserat Deus. Unde nec omnium Judæorum natales percenset Scriptura: nec enim Elie, Daniels, trium paucorum et aliorum parentes nominat: Gentium autem genealogiam negligit, et vix curat Scriptura. Melchisedech autem erat Gentilis, non Judæus. Pari modo Job; et *Jobi*, licet famosissimus esset vir, imo rex, pater, mater et genealogia non recensentur. *Secundo*, dicitur Melchisedech esse sine genealogia, non absolute, sed respectu sacerdotii: quia non jure hereditario, nec per carnis successione, sacerdotium inivit Melchisedech (uti nec Christus), imo forte nec ex parentum doctrina, aut exemplo; quia ex Gentilibus, scilicet Chananeis, prognatus est, qui illo tempore corruptissimis erant moribus, et in Deum impiissimi; nec Dei, sed idolorum cultores; præsertim vero sum illud sacerdotium, in quo panem et vinum offerens typus fuit Christi, Melchisedech non a patre aut matre, sed a Deo solo accepit, ut hujus sacerdotii respectu recte dici possit esse sine patre, matre et genealogia, quia primus ipse illud inivit, et orsus est.

Causa vero allegorica, et potissima hujus silentii est, ut hæc ratione Melchisedech esset typus Christi, idque dupliciter. *Primo*, ut, dum tacetur ejus pater et mater, hoc ipso significaret Christum, qui in terris qua homo est *hæretus*, id est sine patre, in caelis qua Deus et Dei Filius, *divinitus*, id est sine matre. Ita Chrysostomus et Theophylactus hic; Nazianzenus, *orat.* 38 initio, et Ambrosius, *epist.* 82. *Secundo*, ut, dum tacetur ejus pater et mater, videatur ex suo genere et stirpe non esse mortalis, sed immortalis et æternus: non quod revera talis fuerit Melchisedech, sed quod ut talis introducatur et appareat in Scriptura non propter se, sed ut sit typus æternitatis Christi. Unde scriptur: « Neque initium, neque finem dierum habens; » ut *sine patre et matre* eodem pertineat, omniaque hæc non aliud significant et inculeant quam Christi æternitatem. Hanc enim sæpe in seqq. inculcat Apostolus, ut per eam Christum præferat sacerdotibus Aaronicis, qui mortales erant, et vicissim emoriabantur.

Talem ergo Melchisedech proponit nobis Scriptura, ac si repente de caelo delapsus in terris apparuisset, et mox in caelum ac solum suum se recepisset, nulla scilicet parentum ejus, natiuitatis, aut mortis facta mentione: ut hæc ratione typus esset Christi, coelestis et æterni pontificis nostri.

NEQUE INITIUM DIERUM, NEQUE FINEM VITÆ HABENS, —scilicet in Scriptura, q. d. Scriptura non meminit, quando natus et mortuus sit Melchisedech, sicuti meminit natiuitatis et mortis Aaronis; idque hoc

fine, ut Melchisedech, qui tenuit et exiitit tantum hæc verba competunt, adumbraret Christum, qui vere et realiter non habet initium nec finem dierum, sed est æternus. Unde explicans subdit Apostolus: « Manet sacerdos in perpetuum, » scilicet Melchisedech, antitypas Christi: quia nimirum in Scriptura nulla fit mentio mortis, ac consequenter finis sacerdotii Melchisedech. Ita Chrysostomus, Theophylactus, Ecumenius. *Secundo*, quia nullum legitur sacerdotii sui habuisse successorem, uti Aaron habuit Eleazarum. Ita Theodoretus.

ASSIMILATUS AUTEM FILIO DEI, MANET SACERDOS IN PERPETUUM. — Syrus vertit, *sed in similitudine Filii Dei permanet* כְּמוֹתוֹ kumerut, id est, *pontificalis ejus, in æternum, q. d.* Cum Melchisedech in Scriptura inducitur tanquam neque initium, neque finem dierum habens, sed quasi constans et perpetuus sacerdos, hoc ipso similitudinem et typum gerit Christi, qui re ipsa neque initium, neque finem dierum habet, sed manet sacerdos in perpetuum, uti explicui versu præcedent. Ita Chrysostomus cum suis.

Ut hæc omnia in unum colligantur,

Quæritur, quibus in rebus Melchisedech fuerit typus Christi? Respondeo: *Primo*, in nomine et nominis etymo. Melchisedech enim idem est quod rex justitie, id est, justissimus. Solus enim Christus est verus justitie rex: Christus enim qua Deus, per essentiam est rex justitie, imo justitia ipsa; Christus vero qua homo, justitie est dominus et preses, utpote qui ex perfecta justitia pro omnibus hominum peccatis Deo satisfecerit, quique constitutus sit justitie vindex, ut quasi iudex requissimus, sapientissimus et potentissimus mundum judicet in omni justitia.

Secundo, in officio et statu. Melchisedech enim fuit rex Salem, id est pacis; sic Christus est rex pacificus, qui pacem fecit inter Deum et homines, quique in Salem sive Jerusalem regnavit a ligno, et in celesti Jerusalem, ubi verissima est pax; cum suis est regnaturus in æternum.

Tertio, in generatione. Sicut enim Melchisedech inducitur, ita Christus revera est sine patre in terris, sine matre in caelis. Addit S. Ignatius, epistola ad *Philadelph.*, Melchisedech sine uxore, semper virginem mansisse: sic virgo, imo virginum sponsus est Christus.

Quarto, in etate et duratione. Sicut enim Melchisedech proponitur, ita Christus re ipsa est omni prorsus initio et fine temporis carens.

Quinto, in sacerdotio et pontificatu. Sicut enim Melchisedech fuit rex et sacerdos sive pontifex, ita et Christus: rursum, sicut Melchisedech non legitur oleo consecratus, uti Aaron, et principaliter sacerdos fuit Gentium, comitanter vero Hebræorum; nam pro Abrahamo, parente Hebræorum, sacrificium obtulit; ita et Christus, ut notat Chrysostomus, Ithous, Theophylactus.

Sexto, sicut Melchisedech inducitur ut primus sui generis sacerdos, idemque ultimus: nec enim legitur aliquis ei successisse: sic et Christus novum et æternum habet sacerdotium, tum quia alius et non succedit, tum quia passionis sacrificium pro nobis Patri continuo offertur a caelo, per æternam illius commemorationem, laudem et gratiarum actionem: itaque illius fructus et meritum semper durat et operatur: tum denique propriissime, quia in Ecclesia sua Christus per ministros suos, scilicet per sacerdotes a se institutos, perpetuo offert et offeret in æternum, id est usque ad finem mundi (sic enim sumitur *æternum*, *Levit.* xxv, 46; *Exodi* xv, 18, et alibi), Missæ sacrificium, uti explicat Concilium Tridentinum, sess. XII, cap. 1 et 11; nam secundum priores rationes etiam conceptio, natiuitas, tentatio, fuga, fames, sitis atque ærumna Christi dicuntur æternum, quia ea Christus Patri in caelo offert in æternum: quo modo tamen nemo loquitur. Rursum, sic sacrificium Noë dicitur æternum, quia fructus ejus, scilicet prohibitio diluvii, durat in æternum. Quare recte Concilium Tridentinum loco citato, ex hoc Apostoli loco probat Missam esse sacrificium. Probat autem sic: Sacerdotium Christi ejus morte extinctum non fuit, sed semper durat, ut hic dicit Apostolus; ergo et sacrificium Christi semper durat et erudit: atqui illud non potest esse sacrificium curatis, quia hoc jam pridem transit et desit: ergo hoc sacrificium Christi semper durans est Eucharistia, et Missæ: nec enim aliud his dari aut fingi potest. Rursum, tam Christus sacerdos, quam Christi Ecclesia, et respública non potest esse sine publico Dei cultu et sacrificio proprie dicto, quod statis diebus Deo offert. Talem enim cultum et sacrificium habuit semper omnis Ecclesia et respública, tam ante diluvium, quam post illud, tam Judæorum, quam Gentium etiam Deum verum ignorantium; atque in Ecclesia Christiana aliud sacrificium inveniri non potest, quam Eucharistia: ergo Eucharistia est sacrificium, quod Christus semper offert et offeret usque ad finem mundi.

Notandum est enim, quod Christus in Missa sit principalis offerens, tum quia Missæ sacrificium instituit, tum quia in caelo Patri suo nostras Missas quæ celebramus, acti et re ipsa offert. Est enim mediator et advocatus noster, qui nostram causam apud Deum agit, et pro nobis interpellat: tum quia sua omnipotentia in singulis Missis transubstantiationem panis et vini in corpus et sanguinem suum, in qua consistit essentia sacrificii nostri, operatur et perficit.

Septimo, Melchisedech fuit typus Christi in benedictione et decimatione Abraham, quia sicut Melchisedech pontifex major fuit Abrahamo, qui tamen sacerdos quoque erat et pontifex (Melchisedech enim quasi dignatus Abrahamo benedixit, et ab eo decimas accepit); ita Christus major est Aaron, qui in patris sui Abrahami lumbis la-

Fit mens et regalis Chanaanorum; cur dicitur sine patre et matre.

Tria rationes de his sunt: prima, quia Melchisedech non habuit successorem; secunda, quia non legitur mortuus; tertia, quia non legitur natus.

Sicuti tamen habuit successorem, et legitur mortuus, et natus.

Quia dicitur regalis Chanaanorum, et regis filium dicimus eum, qui ignotus est, obscuri generis et incognitæ prosapie.

Præter octo rationes Melchisedech typus Christi est. Primo, in nomine et nominis etymo. Secundo, in officio et statu. Tertio, in generatione. Quarto, in etate et duratione. Quinto, in pontificatu.

Sicuti Melchisedech et Christus priores et ultimus sacerdos.

Probat ex hoc loco Missam esse sacrificium.

Sicuti Melchisedech typus Christi in benedictione et decimatione Abraham.

De Cl. pr. au. ses. le Mo.

tens, tacite et virtualiter a Melchisedech, dum ipse benedixit Abrahamo, benedictus est, illique quasi majori decimas dedit, ut significaretur a Christo, cuius typus erat Melchisedech, vere et efficaciter benedicens; Et hoc est, quod præcipue hic spectat Apostolus, nimirum ut demonstret Christi sacerdotium et sacrificium longe præstantius esse sacerdotio et sacrificio Levitico sive Aaronico, in quo inuitri erant Hebræi, ideoque ab illo vix avelli poterant.

Octavo denique, maxime et perfectissime Melchisedech fuit typus Christi in hostia, quia scilicet obtulit panem et vinum, sicut eadem obtulit et offert Christus in Eucharistia: hic enim est ritus sive ordo sacrificii Melchisedech, juxta quem dicitur Christus sacerdos secundum ordinem Melchisedech. Nam ordo, ritus et species sacerdotii et sacrificii proprie et essentialiter pendet et desumitur ex ipsa re oblata, sive ex victima, quæ certo modo et ratione Deo offertur et immolatur, qualis hic est panis et vinum, uti docent Patres omnes, totaque Ecclesia, communi sæculorum omnium consensu. De quo plura vers. 27.

4. INTUENTI AUTEM QUANTUS SIT HIC, CUI ET DECIMAS DEDIT DE PRÆCIPUIS ABRAHAM PATRIARCHA. — Pro *intuenti* græce est θεωρητής, id est contemplamini, allegoriam speculamini, contemplative et allegorice exponite mysteria, quæ latent in cortice historie et personæ Melchisedech. Hactenus enim Apostolus proposuit ipsam externam litteram et historicam narrationem de Melchisedech: nunc ea proposita volens allegoriam ejus exponere, hortatur Hebræos, ut intimos et sublimes allegoricos in eo latentis sensus de Christo Christi que ministri, sublimibus mentis oculis secum intueantur et contemplantur. Ita Chrysostomus.

Nota *decimas*: non ergo Abraham dedit munerera, ut voluit Cajetanus (munera enim non tantum laicis, sed et paribus, imo et inferioribus dantur), sed decimas sacerdotales dedit Melchisedech tanquam sacerdoti et pontifici.

Secundo, pro de præcipuis græce est τῶν ἀρχαίων; ἀρχαίων, inquit Theophylactus, sunt spolia præcipua et optima: inde primitiæ spoliolorum quæ diis offerebantur, ab Herodoto et aliis vocantur ἀρχαίων, quasi τὰ ἀρχαία τῶν θεῶν, id est summitates æervi, quod primitiæ ex summitate æervi excerpti soleant; vel, ut Erasmus, spolia egregia ducibus detracta dicta sunt ἀρχαίων, quasi a tangendis summis: ἀρχαίων enim, teste Hesychio, idem est quod summam partem attingo.

ABRAHAM PATRIARCHA. — Emphasim habet vox « patriarcha. » Patriarcha enim idem est quod princeps patrum, sive a quo multi patres cum suis familiis descendunt. Sic Abraham, Isaac, Jacob ejusque duodecim filii vocantur duodecim patriarchæ, quia hi capita fuerunt et parentes 12 tribuum Israel: inde patriarchæ nomen attributum est cuius, qui magnæ familie parens est et caput. Sic David, Act. II, 29, vocatur patriar-

cha. Hinc in Ecclesia vocantur Patriarchæ primi et amplissimi Antistes, quibus subjecti sunt Episcopi, Archiepiscopi et Metropolitæ; tales Patriarchæ sunt Pontifex Romanus, Alexandrinus, Antiochenus et Constantinopolitanus. Hæc voce Apostolus occurrit tacite objectioni. Dixerunt enim Hebræi: Esto Abraham dederit decimas Melchisedech tanquam majori se, quid hoc ad Aaronem? ane ideiro Aaron, ejusque sacerdotium minus est quam Melchisedech? licet enim filius Abrahæ fuerit Aaron, ac consequenter Aaron pontifex major videtur fuisse Abrahamo patre suo sicuti filius alicujus Christiani, dum creatur Episcopus aut Pontifex, hoc ipso major sit patre suo. Hoc elidit hic Apostolus per vocem « patriarcha, » q. d. Abraham, primus et magnus patriarcha, adeoque parens omnium patriarcharum et sacerdotum, ac consequenter ipsius Aaronis et posterorum, decimas dando Melchisedech; hoc ipso agnovit se minorem esse Melchisedech; ergo multo magis idipsum agnoscere debet Aaron, omnesque alii Abrahæ filii: Abraham enim longè dignior fuit Aaron et omnibus posteris. Fuit enim patriarcha per excellentiam, patriarcha, inquam, non tantum quoad naturalem generationem, sed etiam quoad sacerdotium. Sicut enim Abraham totius suæ familie, omniumque duodecim tribuum fuit pater et patriarcha: ita et eorundem summus fuit sacerdos et pontifex; nam capita familiarum, earundem erant sacerdotes. Ius enim sacerdotii illo tempore per generationem carnalem devolvebatur in posteris, scilicet in primogenitis et in capita familiarum; ac consequenter omne sacerdotium Hebræorum descendit ab Abrahamo ejusque sacerdotio, poterantque singuli filii Jacob suarum tribuum esse sacerdotes; verum ut ex omnibus unus conflaretur populus, unaque Ecclesia, statuit Deus, ut una familia, scilicet Levi et Aaronis, pro reliquis omnibus hoc sacerdotio fungeretur. Idem ergo fuit sacerdotium Abrahæ et Aaronis: adeoque Aaronis sacerdotium (quod valde notandum est) descendit a sacerdotio Abrahæ, sicut Aaron descendit ab Abraham, ac consequenter eo fuit minor. Fuit enim Aaron pontifex in familia Abrahæ, adeoque unius tantum Abrahæ familie, scilicet Jacobi, sive duodecim tribuum, fuit pontifex. Abraham enim et Isaac alios habuerunt filios præter Jacobum (a quo descendunt duodecim tribus), quorum pontifex non fuit Aaron, sed ipsemet Abraham. Secus se res habet in sacerdotio Christi, et Christianorum: illud enim non descendit a parentibus per carnalem generationem, sed spirituale est, et immediate ab ipso Christo promanat. Unde si cujuspiam filius fiat Pontifex, hoc ipso a Christo constituitur caput, Antistes et princeps, non tantum suæ familie et parentum, sed omnium omnino fidelium.

5. ET QUIDEM DE FILIIS LEVI SACERDOTIUM ACCIPIENTES. — Non enim omnes filii Levi sacerdotium accipiebant, sed solus Aaron ejusque posteris: reliqui filii Levi fiebant Levitæ, serviebantque sacerdotibus, uti jam eisdem serviunt diaconi nostri.

MANDATUM HABENT DECIMAS SUMERE A POPULO, ID EST, A FRATRIBUS SUIS: QUANQUAM ET IPSI (scilicet fratres, ut patet ex Græco) EXIERINT DE LUMBIS ABRAHÆ. — Probat eum qui dat decimas minorem esse illo qui eas accipit, scilicet Abraham esse minorem Melchisedech; probat, inquam, exemplo sacerdotum Aaronicorum, q. d. Deus jussit omnibus Judæis etiam Levitis, Num. XVIII, 26, ut decimas darent sacerdotibus Aaronicis, volens hæc ratione honorare et preferre sacerdotes, ac reliquos Judæos illis subicere, cum tamen Judæi sacerdotum essent fratres, utpote ex eodem Abraham et Jacob geniti. Si ergo Judæi, licet fratres, fratribus suis, scilicet sacerdotibus, sunt subiecti, hoc ipso quo eis ex lege tenentur dare decimas: ergo pariter Abraham dant decimas Melchisedech, hoc ipso confessus est se illo esse minorem, et hoc ipso se illi subiecti.

Nota hebraismus: *Exire de lumbis* alicujus, est idem quod gigni ab eo. In lumbis enim est origo seminis: ex lumbis enim duæ arteriæ descendunt, per quas materia seminis defertur ad partes generationi destinatas, ut ibi formetur, percoquat, fiatque semen prolificum; hinc lumbi sunt origo et sedes concupiscentiæ, ideoque in Scriptura jubetur lumbos restringere, id est concupiscentiam edomare, ut docet S. Gregorius, homil. 13 in *Evangelia*.

6. CUIUS AUTEM GENERATIO NON ANNUNTIATUR IN EIS, DECIMAS SUMPISIT AB ABRAHAM. — Id est, Melchisedech, cuius genus et genealogia non attexitur Hebræis, filius Abrahæ, id est, qui ex Hebræis non fuit oriundus, hic decimas sumpsit ab Abraham. Ita Syrus, Anselmus et Græci. Addit hoc Apostolus, ut significet Melchisedech, sicut diversum habuit genus ab Aaron et Abrahamo, ita et diversum habuisse sacerdotium, illudque majus Aaronico, utpote cui Abraham, in cuius lumbis continebatur Aaron, decimas tanquam pontifex se digniori dederit. Incipit Apostolus hic congerere septem argumenta, quibus probat Melchisedech, qui typus fuit Christi, ac consequenter Christum ipsum majorem fuisse sacerdotibus Aaronicis.

Primum est hoc vers. tale: Qui decimas accipit, major est illas dante; atqui Melchisedech accepit, Abraham illi dedit decimas: ergo Melchisedech major est Abrahamo.

Nota, quod Abraham ita honoravit Melchisedech, eique decimas dedit, cum tamen ad eum ejusque jurisdictionem non pertineret, causa videtur fuisse, magna dignitas, auctoritas, fama, et virtus Melchisedech; utpote qui solus inter impios Chanaanos publicus Dei veri esset sacerdos, idemque rex justissimus.

Secunda et potior causa fuit, quod Melchisedech typus esset Christi; movit ergo Spiritus Sanctus Abrahamum ad honorandum Melchisedech, ut Judæi, Abrahæ posteris, seirent sibi præ Aaron honorandum esse Christum, cuius typum fuisse Melchisedech sciebant ex Davide, *Psal.* CIX, ubi ait: « Tu es sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech. » Videtur autem Abraham idipsum cognovisse, utpote cum esset propheta et Deo familiaris, atque hæc de causa videtur ita reverenter et impense coluisse Melchisedech, quod spiritu prophætico prævideret illum esse typum Christi, ut non tam Melchisedech, quam Christum in Melchisedech representatum honorare et colere voluisset videtur.

ET HUNC QUI HABERAT REPROMISSIONES, BENEDIXIT. — q. d. Melchisedech benedixit Abrahamum, quasi se minorem, cui tamen Deus promiserat tanta bona, adeoque in ipso benedicendas esse omnes gentes, *Genes.* cap. XII.

7. SINE ULLA AUTEM CONTRADICTIONE, QUOD MINUS EST, A MELIORE (græce κρείττονος, id est majore, digniore, præstantiore) BENEDICITUR. — Est secundum argumentum quo probat Melchisedech majorem fuisse Abrahamo, et consequenter Aaronem, q. d. Melchisedech, qui fuit Christi typus, benedixit Abrahamo et toti ejus progeniei, ac consequenter etiam Levitis et sacerdotibus Aaronicis ergo tam ipse, quam Christus, quod representabat, isdem fuit dignior et præstantior. Probatur consequentia, quia omnium confessione major est qui benedicit, illo qui benedicitur.

Objicies: Episcopus Ostiensem consecrat Papam, quo tamen est minor; Suffraganeus consecrant Archiepiscopum, quo tamen sunt minores; ergo non semper qui benedicit, major est; nec qui benedicitur, minor. Respondet S. Thomas dupliciter: *Primo*, Episcopus et suffraganeus non consecrant Papam, vel Archiepiscopum; sed hunc hominem, puta Petrum, vel Paulum, ut sit Papa, vel Archiepiscopus: dum enim eum consecrant, necdum est Papa, vel Archiepiscopus; ac consequenter necdum est consecrantibus major, sed potius minor, utpote a quibus accipit consecrationem papalem, vel archiepiscopalem.

Secundo, respondet, Episcopus Ostiensem et Suffraganeus ita consecrare et benedicere non sua virtute, dignitate et auctoritate, sed Dei: in hæc enim benedictione quisque eorum gerit vires Dei, qui hæc benedictiones tali modo et per tales (nec enim aliter commode fieri possunt) fieri instituit, seseque habet ut minister et vicarius Dei, qui major est eo qui benedicitur, quisquis et quantus quantus ille sit.

Objicies *secundo*: Sacerdos in Missa supe signo crucis benedicit corpus Christi, cum tamen longè illo sit minor. Respondet, hæc benedictiones non esse aliud, quam eformationes signi crucis super corpore Christi, quæ non adhibentur ad hoc, ut Christo ipsi benedicamus, sed ut his quasi

Emmi
melio
concepit
benedicit.

Idem
sacerdotium
Abrahæ
et Aaronis.

Quomodo
Episcopus
Gostiensis
Papam,
et Suffraganeus
Archiepiscopum
benedicit?

caeremoniis representemus crucem Christi, per eamque, ac Christum ipsum crucifixum, quasi victimam nostram. a Deo tacite petamus et postulamus, ut ipse nobis benedicat. Sic ergo benedicimus Christo non in se, sed prout est victima nostra. Poscimus enim per has benedictiones, ut Christus in se benedictus fiat nobis victima salutaris et benedicta. Adde, sacerdotem, quatenus perit personam Christi sacrificantis, quodammodo majorem esse Christo ipso sacrificato: in omni enim sacrificio sacerdos major est sua victima quam offert.

8. ET HIC QUIDEM DECIMAS MORIENTES HOMINES ACCIPIUNT: IBI AUTEM TESTATUR, QUIA VIVIT. — «Hic,» scilicet in iudaismo, apud nostros Levitas, de quibus dixi vers. 5, decimas accipiunt sacerdotes Aaronici, qui mortales sunt et moriuntur. «Ibi» autem, scilicet in historia et facto Melchisedech, de quo dixi vers. 6, «testatur,» scilicet Scriptura, quod vivat, scilicet is qui decimas accipit, puta Melchisedech; vivat, inquam, semper, non re ipsa, sed symbolice et allegorice, quia scilicet ejus mors non narratur in Scriptura, ut hoc ipso representat Christum, qui re ipsa est sacerdos in aeternum.

Nota: Pro testatur graece est μαρτυρέω, quod quia est vocis medie, tam veri potest passive testatur, quam active testans. Hic autem aptius cum Syro et Graecis veritas testatur, itaque nostrum Interpretem verissime valde est verisimile, ut ex testatur depravatum sit testatur. Nam si legas testatus, tunc antilhesis aequae ac sententia erit brevissima et explicatissima, nullo indigens supplemento; hoc modo: «Et hic (in lege) quidem decimas morientes homines (sacerdotes Aaronici) accipiunt, ibi autem (in decimatione Abrahamae, supple decimas accipit) testatur (id est, is de quo testatur Scriptura) quia (quod) vivit,» puta Melchisedech, qui in Scriptura inducitur quasi semper vivens, ad hoc ut significet Christum pontificem semper viventem.

Terrium argumentum quo probatur Apos- tolus, Melchisedech ac consequenter Christum esse majorem esse Abrahamo et Aaronem, q. d. Sacerdotes Aaronici sunt mortales, sed Melchisedech proponitur ut immortalis, quia scilicet typus est Christi, qui est sacerdos aeternus: ergo tam Christus quam Melchisedech dignior est sacerdotibus Aaronicis.

ET, UT ITA DICTUM SIT, — *hic erat dicitur*, id est, ut ita loquar, ut scilicet uno verbo novo et subtili rei nodum tangam et complectar. Poterat enim videri insolens et absurdum, id quod hic dicit et subjicit, scilicet Levitas nondum natos, decimatos esse in Abrahamo; praemollit ergo haec phrasin suam: sententiam Apostolus, quo modo praemollire solemus sermonem nostrum, cum aliquid novi, acuti, insolentis et inauditi dicere volumus. Ita Theophylactus.

9. PER ABRAHAMAM, ET LEVI (Leviticus quilibet sacerdos), QUI DECIMAS ACCIPIUNT (accipere solitus est in veteri Testamento), BENEDICTUS EST. — id est, decimas solvit. Sicut enim vers. 6 et 7 dicitur, id est, decimare, Apostolus posuit pro decimas accipere: ita hic dicitur: ponit pro decimas pendere, vel solvere, q. d. Cum Abraham, et in ipso Abraham latens adhuc Levi et quilibet Leviticus sacerdos (ad quem tamen pertinet jus decimarum in lege veteri) solvit decimas ipsi Melchisedech, quia ipse erat typus Christi, quasi conditus se suumque sacerdotium minus esse sacerdotio Melchisedech et Christi, imo se eorum respectu non tam sacerdotem esse, utpote cuius est decimas accipere, quam laicum, cuius est decimas dare.

10. ADHUC ENIM IN LUMBIS PATRIS (Abrahamae) ERAT (Levi) QUANDO OBLIVISTI EI (Abrahamae) MELCHISEDECH. — Vox enim causam dat illius praemolitionis, quia dixit, «ut ita dictum sit,» inquit Erasmus, q. d. Apostolus: Dixi quodammodo Levi decimatum esse in Abrahamo, nam necdum natus erat, ut proprie et per se decimari posset, sed adhuc latebat in lumbis Abrahamae; et sic non proprie, sed quodammodo in eo decimatus est.

Verum potius videtur vox enim dare causam, quod dixerit in ipso Abraham decimatum esse Levi, q. d. Abraham agnosces Melchisedech esse se majorem, et typum Christi, illi decimas dedit et ab eo benedictionem accepit, ut proficeretur se omnesque suos posteros, ac consequenter et Levitas, ac sacerdotes Aaronicos ex se nascituros, minores esse Melchisedech, Christoque subiectos: perinde enim Abraham se gessit cum Melchisedech, atque princeps, qui pro se et pro tota sua posteritate obedientiam regi praestat et offert. Erat enim Abraham princeps populi totius gentis Judaicae auctor, parens et patriarcha ut dixi vers. 4, totaque gens censebatur virtutaliter in lumbis ejus, ac per eum subijcere se Melchisedech, ipsique Christo, ac consequenter Leviticis sacerdotibus censebantur pariter se subijcere tam Melchisedech quam Christo, eorumque respectu non se sacerdotes, sed laicos esse profitebantur. Adeo inculcat hanc sacerdotii Christi praecellentiam Apostolus, ut Hebraeos Aaronici sacrificiis assuetos et confidentes, transferat ad Christum pontificem; doceatque eos in Christo omnem spem deligere, et pro eo adversa quaevis pati, utpote qui majora suis promittit et praestat bona, quam Aaron, quibus bona fide agat causam nostram apud Deum, atque non tantum lapsis, sed et tentatis ac persecutionem patientibus norit compati, succurrere, victoriam et coronam aeternam in caelis adornare.

Nota: Esse in lumbis Abrahamae, idem est quod esse in virtute seminali, seu generativa Abrahamae, qui originaliter residet in lumbis, in quibus, ut dixi, est prima seminis origo. Abraham enim per hanc virtutem genuit Isaac, Isaac genuit Jacob.

Jacob genuit Levi, a quo Aaron et sacerdotes regales progeniti sunt.

Obijcies: Christus etiam hoc modo fuit in lumbis Abrahamae, quia ab eo descendit et progenitus est; ergo Christus quoque in Abrahamo decimas credit ipsi Melchisedech. Respondeo, negando antecedens. Nam illi soli in lumbis Abrahamae esse et decimari dicuntur, qui per potentiam generandi, naturali generativae maris et feminae, ab eo proeminati et procreati sunt, sive (quod hinc sequitur) qui, ut ait S. Augustinus, ab Abrahamo non tantum secundum substantiam corporalem, sed etiam secundum concupiscentiam carnalem descendunt, quomodo descendit Levi, Aaron et ceteri: Christus autem non ita proeminatus est, ac consequenter non fuit in lumbis Abrahamae secundum potentiam generativam, et carnalem concupiscentiam, sed tantum secundum corpoream substantiam, vel materiam, quam ab Abrahamo traxit: quia Christi conceptio et generatio non humana fuit, sed longe altior, puta divina, ex Spiritu Sancto. Pari modo, si quispiam nunc ex Adamo non per naturalem maris et feminae generationem, sed per divinam operationem descendit et ceteri, puta qui a Deo formaretur ex carne, sanguine, aut costa hominis alienius descendens ab Adamo, quomodo formata est Eva, talis non potest a parente contrahere peccatum originale. Quia ratione Christus ex vi conceptionis suae, quae facta est ex Spiritu Sancto, non contraxit peccatum originale; quia tradux peccati originalis tantum complectitur eos qui naturaliter, sive naturali generatione descendunt ab Adamo. Hi enim soli censentur Proprii et naturales esse Ade filii, ac consequenter Ade voluntas censetur eorum fuisse voluntas: unde lex peccati originalis haec est: Omnes et soli illi qui ab Adamo per naturalem generationem tanquam filii naturales descendunt, peccatum originale contrahunt. Eodem ergo modo hic Christus, et quicumque alius qui ex Abrahamo descenderet, non per naturalem generationem, sed per miraculosam efformationem, v. g. ex virgine, per virtutem Spiritus Sancti, non censeretur filius Abrahami, ab eo proprie et naturaliter genitus; ac consequenter non censeretur Abrahamum pro eo aut voluisse, aut potuisse solvere decimas. Ita S. Augustinus, lib. X. De Genesi, ad lit., cap. XX, et ex eo S. Thomas, III part. Quest. XXXI, art. 8, et Scholastici ibidem.

Nota secundo, ex eo quod ait Apostolus Levi fuisse in lumbis Abrahamae. Tertullianus, lib. De Anima, cap. XXVII et seqq., opinatus est animam Levi fuisse in lumbis Abrahamae, ac consequenter animam ejusque hominis non immediate creati a Deo, sed esse ex traduce, id est traduci, egressi et propagari ab anima parentis per virtutem ejus seminalem, quae generat filium, sicuti lumen aeris traducitur et propagatur a lumine solis. Sed falso fundamentum nititur Tertullianus: putavit enim animam hominis esse corpoream, imo suum

habere sexum, ita ut anima viri ab anima feminae sexu distinguatur, aequae ac corpus. Eius ergo ratio haec erat: Anima hominis est corporea, et homo ab homine generatur, sicut equus ab equo, bos a bove; atqui anima bovis et equi traducitur et propagatur ab anima bovis et equi generantis, adeoque educitur e potentia materiae, puta seminis equini et bovini et ergo et anima hominis traducitur ab anima parentis.

Verum major propositio est falsa. Nam anima hominis est spiritualis et immaterialis, anima vero equi est materialis, et educitur e potentia materiae, ab eaque ita pendet, ut corpore equino perente pereat et anima. S. Augustinus quoque, licet non dubitaret animam humanam esse incorpoream et immaterialem, tamen dubitavit, et in hoc dubio permansit usque ad finem vitae, an hominis anima esset ex traduce parentis, an vero a Deo crearetur. Id patet ex libro I et II, quem scripsit De Origine animae, et lib. II. Retractat., cap. XLV et LVI. Ratio quae S. Augustinum in hanc dubitationem compulsi, haec fuit, quia non videbat S. Augustinus, quomodo anima filii a parente contrahere posset peccatum originale, si non a parente descenderet et traduceretur.

Unde hic erat Achilles Pelagianorum: anima non est ex traduce, sed creatur a Deo; ergo non potest a parente contrahere peccatum originale. Verum hanc consequentiam damnavit Zosimus Papa, totaque Ecclesia: ad hoc enim ut anima contrahat hoc peccatum, sufficit ut sit anima hominis, qui per naturalem generationem et virtutem seminalem descendit ab Adamo. Hoc enim ipso censetur filius Ade, ac consequenter censetur fuisse in Adamo, voluisse et fecisse, quod voluit et fecit Adam, dum pomum vitium comedit. Unde hanc sententiam de traduce animae insecudatur et damnat S. Hieronymus, a quoque posteriores: adeoque jam certum est ex consensu totius Ecclesiae, animam humanam non traduci a parente, sed immediate ex nihilo creari a Deo, qui eandem infundendo creat, et creando infundit corpori humano.

Secundo, Magister sententiarum, lib. II, dist. 30, ex eo quod Levi dicitur fuisse in lumbis Abrahamae, similibusque sententiis et phrasibus, putavit singulos filios Abrahamae ex ipso Abrahamo, ac pari ratione singulos homines ex ipso Adamo, utpote primo omnium parente, trahere partem hanc carnis, quae vere, proprie, eademque numero fuerit in Adamo. Putat enim aliqui non fore filios Ade, nisi aliquam substantiam Adami partem plane eandem et individuum in sese habeant; imo putat hanc solam partem esse de substantia hominis gentis: ita ut hae particulae alimentis non augeatur, sed in seipsa multiplicetur et crescat in magnum corpus humanum. Unde censet cibos non verti in substantiam hominis, sed eam tantum fovere, ac mox ab homine ipso defluere, vel externi, ita ut nihil ali-

Quomodo Christus in lumbis Abrahamae latens non de decimis accipit Melchisedech?

Christus non fuit in lumbis Abrahamae.

Christo non fuit in lumbis Abrahamae.

Error Tertulliani de anima traduce.

Anima hominis immaterialis.

Dubitavit Augustinus an anima hominis crearetur a Deo, an ex traduce.

Error Achilles Pelagianorum, qui negavit peccatum originale.

Putavit Magister Sententiarum unam partem substantiam Adami in sese habere.

De Cl. pri. al. ves. fe. Mo.

Vers. 14.

16. QUI NON SECUNDUM LEGEM MANDATI CARNALIS FACTUS, SED SECUNDUM VIRTUTEM VITÆ INSOLUBILIS. — *Mandatum carnale* vocat legem Mosaicam, de carne circumcisa et istranda, eo quod non animam, sed carnem tantum a quadam immunditia et irregularitate legali et politica in hominum opinione consistit; purgaret et sanctificaret; idque per carnales ceremonias, scilicet lotiones, sacrificia, suillas et cœtera que carnem tantum, non autem animi fibras attingant, ut notat Theodoretus. Ac consequenter carnalem vocat legem, id est, temporariam, quia cum carne moriebatur: carnalis enim legis ceremonia et lustrationes circa carnem occupabantur, eaque subtracta et moriente, cessabant, finiebantur, et cum homine desinebant. Huic opponit mandatum, id est, legem Christi, quæ est a secundum virtutem vitæ insolubilis, id est, quæ dat et tribuit vitam æternam tum gratiæ, tum gloriæ. Et hoc est, quod subdit vers. 23: «Unde et salvare in perpetuum potest, » *q. d.* Sacerdotes Aaronici carnales erant, temporales et mortales: Christus autem per potentiam et virtutem Patris factus est sacerdos semper vivens, æternus, immortalis, quique vitam spiritali gratiæ, et per eam vitam æternam gloriæ nobis elargitur, et ergo longe præstat Christus Aaronicus.

Obijciat: *Levit. vi, 18 et 20*, et alibi semper dicuntur sacrificia Levitico prescripta offerenda ritu sempiterno: ergo tam æterna sunt illa, quam æternum est sacrificium Christi.

Respondet: Nego consequentiam, nam in Leviticis non absoluta significatur æternitas, sed tantum respectiva, scilicet ea duratura semper, id est, toto tempore legis, sive quamdiu durabit lex vetus, donec veniat Messias, qui novum et æternum simpliciter sacerdotium inducat. Id patet tum ex aliis, tum ex eo quod post hæc Levitica sacrificia ritu sempiterno offerenda, promissit Dominus Davidi aliud sacerdotium Christi absolute æternum, dicens *Psal. cix*: «Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech: Quo satis significat sacerdotium Aaronicum æternum fore tantum usque ad Christum, et per Christum abolendum esse; Christi vero sacrificium duraturum esse usque ad finem mundi.

17. TU ES SACERDOS IN ÆTERNUM SECUNDUM ORDINEM MELCHISEDECH. — Non quasi Christus haberet sacerdotium formaliter ejusdem rationis, vel institutum a Melchisedech. Patet enim sacerdotium Christi multo fuisse excellentius, altioris ordinis et originis, quam fuerit Melchisedech.

Unde nota: Pro secundum ordinem hebraice est *דבורה קל דבורה*, id est, secundum negotium, morem, ritum, typum, analogiam, similitudinem (uti veritè Paulus, vers. 16) Melchisedech,

quæ ad vitam immortalem pertinet: ita Rosenmullerus. Alioli vero: qui non sit constitutus ex omni carnis lege, ut eo mortuo succedat alter, sed qui æternis sacerdotio fungatur.

q. d. Christus est sacerdos excellentissimo quodam genere sacerdotii æterni, cujus singularis typus et similitudo fuit Melchisedech. Patet hic sensus ex hoc versu et præced.

Nota, et Christum dicit sacerdotem secundum ordinem et typum Melchisedech multis de causis, scilicet dixi vers. 3; sed potissima et propria causa et similitudo est in victima, quia, sicut Melchisedech prius panem et vinum Deo obtulit in gratiarum actionem pro victoria Abrahæ, deinde illa Deo oblata in milites Abrahæ libanda, id est, participanda et comedenda distribuit: ita et Christus, in ultima cœna, obtulit panem et vinum consecrando illa et transubstantiando in sacrificium Eucharisticum, eoque deinde Apostolis libanda distribuit, et similiter offerenda et libanda præcepit. Ritus enim, ratio et similitudo sacerdotii proprie spectandus est, propriæque consistit in ipsa functione sacerdotii, id est, in ipsa oblatione victimæ et sacrificii, qualia hic sunt panis et vinum: reliqua enim circumstantiæ sunt, nec pertinent ad rationem et speciem propriam, ordinemque sacrificii et sacerdotii.

Hinc demonstratur evidentè Missam esse sacrificium, quia nullo alio loco declaravit Christus se esse sacerdotem secundum ordinem Melchisedech (qualem eum fore prædixit et promissit David, *Psal. cix*) nisi in cœna, in qua se obtulit sub specie panis et vini, nobisque eadem in Missa pari modo offerenda præcepit: sacrificium enim crucis, utpote eruentum, non fuit secundum ordinem Melchisedech, sed potius Aaron, qui boves et oves Deo jugulando immolabat. Nam quod Melchisedech non aliud obtulerit, quam panem et vinum, eque ac Christus in cœna, patet, tum *Genes. xiv, 18*, tum quia Christus in cœna, tum boves, oves, aut quid aliud immolasse meminist Scriptura: ut, nisi ordinem sacerdotii Melchisedech ejusque sacrificii et victimæ oblationem, ritum et speciem colligas ex *Genes. xiv, 18*, nusquam illa colligere possis. Quod si quis temerarius hoc admittat, et nusquam illa colligi posse asserat, inferam: Ergo frustra a Davide dicitur, nobisque proponitur Christus sacerdos secundum ordinem Melchisedech, cum hunc ordinem nusquam invenire, divinare aut intelligere possimus. Quæ de re pura dicenda sunt *Genes. xiv*. Hæc est communis sententia et expositio Patrum et totius antiquitatis, quæ et veterum Rabbiorum. De qua vide Bellarminum, lib. *I De Missæ*, cap. vi.

Obijciat: Cur ergo hanc præcipuam in hostia similitudinem sacrificii Melchisedech et Christi scilicet et omittit hic Paulus. Respondet: Quia hoc erat extra scopum Apostoli. Apostolus enim illud *Psal. cix*: «Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech,» tantum citat ad hoc, ut hæc probet et demonstrat Hebræis Christi sacerdotium diversum esse, successisse et ab æterno sacerdotium Aaronicum. Probat autem

Politicam causam hanc esse ordinem Christi cum sacerdotia Melchisedech, deest in hostia panis et vini.

Sacrificium primum panis et vini.

Demonstratur Missam esse sacrificium, et quidem secundum ordinem Melchisedech.

Causa abolitio veteris legis.

Cor Apostoli hic non explicat hanc originem.

stie: David post 400 annos ab instituto sacerdotio Aaronico, promittit alium sacerdotem, scilicet Christum, qui sit futurus perpetuus sacerdos secundum ordinem Melchisedech, qui Melchisedech 400 annis legem et sacerdotium Aaronis antecessit: ergo hoc ipso significat David prius sacerdotium Aaronicum, utpote temporarium, carnale et infirmum, abolendum esse per posterius sacerdotium Christi, utpote æternum, spirituale et efficacissimum ad peccata abolenda, ad gratiam, gloriam et vitam æternam nobis impetrandam. Ad hoc autem non necesse erat Apostolum explicare quæ fuisset hostia Melchisedech, quam Hebræis ex *Genesi* satis notam et manifestam sciebat. Adde, Apostolus hic tantum urget ea, quibus Melchisedech, et per consequens Christus præcellit sacerdotibus Aaronicis, qualis maxime est æternitas symbolica in Melchisedech, verè et propria in Christo: ad hæc autem plane impertinens et inutilis erat mentio hostiæ Melchisedech, quia hæc parte Melchisedech non erat nobilior, sed potius minor sacerdotibus Aaronicis. Illi enim animalia viva, puta boves et oves, ille vero solum panem aridum obtulit: animalia autem longe præstantiora sunt pane. Denique id tacuit Apostolus, quia multi Hebræi rudes et infirmi, tanti mysterii et arcani Eucharistiæ needum erant capaces, ut ex Paulo ostendi cap. v, vers. 11 et 12.

18. REPROBATIO QUODER ET PRÆCEDENTIS MANDATI PROPTER INFIRMITATEM EJUS ET UTILITATEM. — Versu 12 probavit Apostolus abolitam esse legem veterem, ex eo quod sacerdotium vetus per novum Christi abolitum sit; lex autem cum sacerdotio connexa est: ergo, abolito et mutato sacerdotio veteri, necesse fuit aboleri simul et mutari legem veterem in novam Christi. Jam ne quis miretur, dicatque: Quid causæ fuit, cur Deus legem olim a se institutam abrogavit? respondet hic Paulus, *q. d.* Vis scire causam abolitæ legis et sacerdotii? cur facta «sit reprobatio præcedentis mandati, id est, abrogatio veteris legis? Causa est legis illius infirmitas et inutilitas, quia lex illa non poterat peccata expiare, salvare et beatè homines (1).

19. NIHIL ENIM AD PERFECTUM ADDUXIT LEX. — Id est, lex neminem potuit perficere, id est, justificare et ad beatitudinem, quæ summa est hominis perfectio, perducere. Lex enim tantum in rebus externis occupabatur, circa justitiam carnis et munditiæ exteriori, quæ coram hominibus, non autem coram Deo nos puros et sanctos efficiebat. Si quis mortuum aut immundum attigisset, jubebat eum lex lavari; si quis homicidium et verum crimen admisisset, jubebat eum lex occidi: ipsum vero peccatum, ipsamque animam non purgabat et expiabat lex.

Nota: addi ponitur pro *edivæ*, id est, nihil perfectum.

nitur pro *nemine*: pro masculino enim utitur neutro, quia genus neutrum plenus significat omnimodam universalitatem, inquit Theophylactus. Sic *Joan. vi, 37*, dicitur: «Omne (id est omnis homo) quod dat mihi Pater, ad me veniet.» Sic *Matth. cap. ultim.*, Christus jubet predicari Evangelium omni creatura, id est, omni homini.

INTRODUCTIO VERO MELIORIS SPER (supple, fit, vel facta est per Christum) PER QUAM APPROXIMAMUS AD DEUM. — *q. d.* Per Christum intravit, et, ut Syrus veritè, *77 ad*, id est ascendit, «melior,» id est, major et præstantior spes justitiæ et salutis, quia Christus induxit nova sacrificia, Sacramenta, leges et promissiones novi Testamenti, quibus Dei gratiam hic et in futuro gloriam ac beatitudinem consequi, itaque Deo quam maxime approxinare, atque ad ipsum in Sancta sanctorum, id est in cœlum ipsum, conscendere speramus. Spem Evangelicam toties inculcat Apostolus, ut Hebræi in rebus afflictis pene despondentes animum, eundem ergant per considerationem tot et tantorum honorum, quæ Evangelium promittit, quæque per Christum adipisci speramus.

20. ET QUANTUM EST NON SINE JUREJURANDO. — Pendet hæc sententia a vers. 22, ubi cum explet Apostolus dicens: «In tantum melioris testamenti sponsor factus est Jesus, » *q. d.* In quantum res hæc, scilicet ut Christus fieret sacerdos, non peracta est sine jurejurando, in tantum præstantior sacerdos, legislator et mediator est Jesus, quam fuerit Moyses et Aaron (2).

Est quantum argumentum probans præcellentiam Christi per Moysen et Aaronem, estque tale: Lex, testamentum et sacerdotium Christi, non autem vetus Mosis et Aaronis, promissum tuit a Deo cum jurejurando, idque tunc certius et firmius esset tam sacerdotium Christi, quam reconciliatio nostra, omniaque bona per Christum promissa et præstanda; ergo in quantum juramento firmatum est Christi sacerdotium dicente Davide: «Juravit Dominus, et non penitebit eum: Tu es sacerdos, » etc., in tantum excellentius est Christi sacerdotium Aaronicum.

21. ALII QUIDEM SINE JUREJURANDO. — *q. d.* Aaroni et posteris Deus dedit sacerdotium sine juramento, quasi rem minoris momenti et temporaneam, quam firmare juramento Deus non est dignatus. Hæc verba explicant antithesin et vim argumenti latentem in eo quod præcessit: «Et quantum est non sine jurejurando.» Id ipsum clarius Græca indicant, quæ habent, et *per 722*, id est, nam illi (Aaronici) quidem sacerdotis facti sunt sine jurejurando: Christus autem cum jurejurando, quasi res et negotium Christi profectis, scilicet hominum reconciliatio et salus, magni esset momenti, et licet difficilis, certissimo

horum illorum) lex illa prior aboleatur, etc. Vers. 19. Introductio, inductor, vel promittitur, etc.

(2) In quantum h. i. valet ut, uti; et in tantum, ita, vel illud quatenus, et hoc eatenus.

Sacerdotium Aaronicum promittitur a Davide aboleri potest per sacerdotium Christi.

Legis abolitio.

10. Lex vetus antea, etc.

lumen credenda et speranda ab hominibus; lumen enim de causa juravit Dominus dicens: « Tu es sacerdos in aeternum. » Ita Theophylactus.

Hinc patet, hæc verba et sequentia usque ad vers. 22, interceptanda et includenda esse parenthesi.

Vers. 23. 22. IN TANTUM MELIORIS TESTAMENTI SPONSOR FACTUS EST JESUS — « Testamentum » et Græcum *διαθήκη* idem sum, quod Hebræum בְּרִית *berit*, id est fœdus et pactum, scilicet inter Deum et homines initum per Christum, ut dixi I Cor. cap. XI, vers. 25.

Secundo, « sponsor, » sive fidejussor, hic idem est, quod mediator, qui fidem suam interponit, promittit et spondet bona, quæ in novo hoc Dei cum hominibus fœdere promittuntur, rata fore certoque præstanda. Cum enim Christus et novum Testamentum promittit hominibus ex parte Dei, resurrectionem et præmia cœlestia, divina, et quæ nondum videmus, et longe a nobis remota sunt, ideoque difficulter ab hominibus creduntur et sperantur: hæc de causa pro illis fidejussor Christus, quasi dixerit: Vanum me haberi volo, nisi quod Patris mei nomine fidejubeo, de cœlo et cœlesti gloria fidelibus meis danda, sit ratum, certum et firmum; arrham autem hujus suæ sponsionis, quæ nostram spem mire confirmavit Christus, nobis dedit cum re ipsa resurrexit et ascendit in cœlum, hoc ipse quasi vitam in cœlum nobis apertens et ostendens, sequæ cœli clavem habere, ac cœli dominum esse demonstrans. Ita Anselmus.

23. ET ALII QUIDEM PLURES FACTI SUNT SACERDOTES. — Est sextum argumentum demonstrans Christum præstare Aaronicis, estque tale: Aaronici erant mortales, et alter alteri post mortem in sacerdotio succedebat: Christus autem est immortalis, licet enim sit mortuus, mox tamen quasi victor mortis resurrexit ad vitam gloriosam et immortalem: ergo Christus præstat Aaronicis. Ita ex Chrysostomo Theophylactus, unde subdit Apostolus:

24. HIC (CHRISTUS) AUTEM EO QUOD PERMANEAT IN ÆTERNUM, SEMPER ENIM (ἀναπαύεται, id est, quod prætere, vel in alium successive transire non potest) HABET SACERDOTIUM. — *q. d.* Christus non habet successorem, sicut habuit Aaron, quia ipse semper vivit ut sacerdos et mediator noster usque in æternum.

Dicit: S. Petrus in pontificatu successit Christo, sicut Eleazarus successit Aaroni.

Respondet, hoc esse falsum, nam Eleazarus Aaroni successit in pari, imo eodem gradu et dignitate pontificatus: æqualis enim dignitatis fuit Eleazarus pontifex cum Aaron pontifice, S. Petrus autem successit Christo, non ut par, sed ut vicarius et minister: sicuti in bello, absente capitaneo, succedit ei in acie locum tenens. Christus ergo solus summus est et æternus pontifex noster, qui in terris pontificatum hunc suum

S. Petrus successit Christo, non ut par, sed ut vicarius

administrat per Romanos Pontifices, tanquam vicarios et œconomos suos: nil ergo glorie et honoris Pontificis Romani deus Christo pontifici, imo ejus pontificatum illustrant et promoveant, cum se ipsius tantum administratos, famulos et vicarios esse profiteantur, ad hoc ut Christi gloriam ubique propagent.

25. UNDE ET SALVARE IN PERPETUUM POTEST ACCEDENTES. — Græce, *εἰς τὴν αἰώναν*, quod Vatablus et Erasmus vertunt, *ad perfectum*, perfecte, plene; verum Noster, Syrus et Græci Patres melius vertunt, *in perpetuum*. Vult enim docere Paulus, Christum, utpote sacerdotem æternum, non tantum in hac vita, sed et in futura salvare suos fideles, illicque conferre æternam salutem, cum Aaronico temporalem tantum hujus vite suis impetrarent.

Nota: « Accedentes » (ita enim legendum est cum Romanis, Græco et Syro, non autem *accedentes*) vocat fideles, qui per fidem et obedientiam quam Christo præstant, accedunt ad Deum Patrem, ejusque gratiam et amicitiam.

SEMPER VIVENS AD INTERPELLANDUM PRO NOBIS. — Hinc patet, Christum in cœlo interpellare et orare pro nobis, idque proprium esse Christo, ut tantquam pontifex orat pro nobis: alii enim Sancti, etiam ii, qui in hac vita sacerdotes fuerunt, orant pro nobis in cœlo, non tantquam sacerdotes, sed tantquam privati Sancti et amici Dei: non enim amplius funguntur sacerdotio in cœlis. Vide dicta Rom. VIII, 34.

26. TALIS ENIM DECEBAT UT NOBIS ESSET PONTIFEX, — scilicet, qui semper vivens, semper interpellaret pro nobis, ac proinde, qui sanctus esset, innocens, etc., ut ita in perpetuum salvaret nos.

Nota: *decebat, q. d.* inquit Primasius: Non eramus digni, nec promerebamur talem habere pontificem, sed necesse erat nobis ut talem haberemus qui esset sanctus, etc.

SANCTUS. — *ὅσιος*, id est, purus et omnis labis expers, hoc est sanctus: puritas enim est sanctitas, ut dixi in I Corinth. VI, 24. Unde Theophylactus: *ὅσιος*, inquit, est qui nihil eorum que facere debet omittit, pura moribus integer, et in acerbis omnibus perfectus.

Secundo et melius, *ὅσιος* idem est quod pius erga Deum, Deum timens et colens, Deo devotus, sacer et sanctus, ipsaque pietate et sanctorum reverentia et venerandus.

INNOCENS. — *ἄκακος*, id est, carens malitia et noxa, id est, innocens, qui nemini nocet, nemini male velit, sed omnibus prodesse et benefacere studeat. Hinc Chrysostomus et Œcumenius *ἀκακος* vertunt, expers doli, qui necesse fallere, necesse decipere. Fraus enim ac dolus æque ac animus nocendi avidus, propria vocantur malitia, græce *κακία*; et *ἀκακος*, qui eo caret. Ita Cicero, *Tusculan.* IV, et lib. III *De Finibus*: « Virtutis, inquit, contraria est viliositas: sic enim malo, quam malitiam appellare, quam Græci *κακία* ap-

Christum æternum sacerdotem dicit, Alii tamen tantum temporalem.

Primum est Christus, et, orans pro nobis in cœlo, non tantquam pontifex, quod illi Sancti non conveniunt.

Sancti nobis in cœlo manserunt illasi.

Item sanctus virginitas in ipse huiusmodi.

pellant. Nam malitia certi cujusdam vitii nomen est, vitiositas omnium.

IMPOLLUTUS. — Nota hic, pontificem debere esse per omnem sanctum et integrum, scilicet, ut sit « sanctus, » id est pius erga Deum, « innocens » erga proximum, « impollutus » erga seipsum. Pro « impollutus » græce est *καθῆρος*, id est incorruptus, immaculatus, illensus, inviolabilis. Inde enim lapis dicitur amiantus (ad quem hic videtur Paulus alludere), quod igne non ledatur, quodque ex eo utpote flexili telas velaque texant, quæ igni injecta ardent quidem, sed ex eo splendidaore exunt, ut docet Dioscorus, lib. V, cap. LXIII, et Plinius, lib. XXXVI, cap. XIX. Talis est puritas, ac presertim castitas, quæ nec igne concupiscentiæ, nec igne corporali corrumpi potest; sed tam tunc, quam corpore illusa et incorrupta inter quosvis ignes perdurat. Unde *Isaia* cap. XLII, vers. 2, per Christum Deus idipsum promittit eulibet Christiano puro et sancto, dicens: « Cum ambulaveris in igne, non combureris, et flamma non ardebit in te, quia ego Dominus Deus tuus sanctus Israel, salvator tuus. » Ubi Leo Castrus ex S. Athanasio: « Sicut, inquit, ex amianto lapide tele sunt igne inviolabiles, ita B. Virgo Agnum peperit, cujus glorioso vellere facta est nobis vestis immortalitatis, qua tecli nec igne comburi possumus, nec aquis concludi, aut illa alia re, quin per omnia cruentamenta illasi ad incorruptionem et immortalitatem transeamus. » Imo sic ad litteram angelus suæ quasi veste amiantina tutatus est ab igne Babylonio tres pueros et castos pueros Hebræos, angelus, inquam, similis Filio Dei, Christique typus, *Daniel* III, 92. Sic S. Joannes, S. Vincentius, S. Cecilia, Lucia, Agnes aliæque plurimæ in flammis Christo protegente manserunt illense, et non minore miraculo undique licet tentate libidinis igne, non arserunt, imo a sponso suo Christo, angelum virginitalis suæ custodem et vindicem perpetuum adeptæ sunt; adeoque, quod notandum est et memorabile, cum ex sanctis virginibus multas a tyrannicis præsidibus Ethnicis damnatas legamus ad lupanar, nullam tamen ex eis violatam, sed omnes Dei ope miraculose lenocinium manus evasisse, atque inviolatas virginibus permansisse legimus. Tales etiamnum sunt permulti sacerdotes, religiosi, alique qui in carne vivunt angelice, et inter ignes concupiscentiæ et tentationum carnis, quasi amianti perdurant, et fulgidius resplendent. Pontifex ergo noster Christus amiantus est, suosque præsertim sacerdotes amiantos esse vult, atque angelicam puritatem et castitatem ab eis exigit, quia incorruptio proximum facit esse Deo: sacerdotes autem pro populo Deo approximare debent.

Lapis amiantus igne non induitur, et sine pollutione.

Vestis amiantina castitatis inviolabilis.

Sancti nobis in cœlo manserunt illasi.

Item sanctus virginitas in ipse huiusmodi.

angelos et Beatos, tam loco, quam gratia et gloria, « ascendit enim super omnes cœlos, » *Ephes.* IV, 10. *Secundo*, S. Anselmus hæc omnia sic quoque explicat: « Sanctus » interior, « innocens » manibus, « impollutus » corpore, « segregatus » a peccatoribus, » id est ab omni peccato immunis, et seorsum factus est a grege peccatorum, et consequenter a grege ceterorum sacerdotum separatus, inter quos nullas est sine peccato; « et excelsior cœlis factus, » ut ibi ministret in superno altari. Vel, « excelsior cœlis factus, » id est, super omnes cœlestes creaturas evectus, ita ut ejus magnitudo vel sublimitas magnitudinem primorum sic transcendat angelorum, ut inter ipsum et angelos nulla possit fieri comparatio secundum magnitudinem et excellentiam. Hucusque Anselmus.

27. QUI NON HABET NECESSITATEM QUOTIDIE QUERENDUM SACERDOTES (LEVITICI) PIUS PRO SUIS DELECTIS HOSTIAS OFFERRE, DEINDE PRO POPULO: HOC (SCILICET OFFERRE NON PRO SUIS, SED PRO POPULI DELECTIS) ENIM FACIT SEMEL, SEMPER OFFERENDO. — Est septimum argumentum probans Christum præcellere Aaronicis sacerdotibus, estque tale: Aaronici pro peccatis tam suis, quam populi, hostias offerunt, idque sæpius, imo quotidie: Christus autem non pro suis, sed alienis, scilicet totius mundi, peccatis offert, idque semel tantum, unaque oblatione omnia omnium hominum peccata expiavit: ergo Christus nobilior et efficacior est Aaronicis.

Inferi hinc et nobis objicit Beza: Ergo unicum est Christi sacrificium: ergo quotidianum Missæ sacrificium abolendum est, utpote repugnans unico Christi sacrificio. Respondet, unicum esse Christi sacrificium expiatorium, redemptorium et satisfactorium omnium peccatorum, scilicet sacrificium crucis: illo enim Christus obtulit pretium sufficiens pro culpis et debitis peccatorum omnium, que unquam commissa sunt, vel deinceps committentur. Missa autem sacrificium est non redemptorium et satisfactorium, sed applicatorium redemptonis et satisfactionis Christi in cruce peractæ. In Missa enim non novum officium pro peccatis pretium, sed primævum crucis pretium et lytrum nobis applicamus: sicut illud ipsum nobis applicamus per baptismum, illaque Sacramenta, et per bona opera.

Respondet secundo: Missa sacrificium idem est cum sacrificio crucis, primo, representative, sicut imago eadem est cum re cuius est imago: Missa enim representat sacrificium crucis. *Secundo*, eridit realiter: tam enim in Missa, quam in cruce idem est sacerdos primarius offerens, scilicet Christus: eadem etiam ubique est victima et hostia, scilicet corpus Christi, eadem inquam in re, licet quoad modum sit diversa: in Missa enim est ineruenta, cum in cruce fuerit cruenta; sed ineruenta in Missa significat et representat orientam in cruce. Ita Concilium Tridentinum, *sess.* XXII, cap. 1.

Septimum argumentum probans Christum præcellere Aaronicis sacerdotibus Christi tunc pro Aaronicis.

Objicit Beza contra sacrificium Missæ solvitur.

Missæ sacrificium non expiatorium, sed applicatorium redemptonis.

Sacrificium Missæ idem est cum sacrificio crucis re et representatio.

SEGREGATUS (non tantum a peccatis, sed et) A PECCATORIBUS, (quin) ET EXCELSIOR CŒLIS FACTUS, — ut longissime non tantum a peccatoribus, sed et ab hominibus omnibus distet superetque omnes

28. LEX ENIM HOMINES CONSTITUIT SACERDOTES (græce *ἐπέστη*, id est, pontifices sacrorum et sacerdotum principes) INFIRMITATEM HABENTES, — id est mortales, miseros et peccatores, quique non valeant suis sacrificiis peccata expiare.

SERMO AUTEM JURISJURANDI, QUI POST LEGEM EST, FILIUM IN AETERNUM PERFECTUM, — scilicet sacerdotem per pontificem constituit; hoc enim repetendum est ex antithesi precedentis sententiae.

Nota: « Sermo jurisjurandi » est juramentum, quo *Psalm. cix.*, « juravit Dominus » Christo: « Tu es sacerdos in aeternum; » patet ex vers. 17.

Secundo, hoc juramentum datum est per Davidem, post datam legem Mosi et Aaroni, ut significaretur vetus sacerdotium cessurum novo Christo, qui perfectior ea quae veteri deerant.

Tertio, pro *perfectum* græce est *τελειωμένος*, id est consummatum (ut verit. Noster, cap. ii, vers. 10), inquit in aeternum, ut scilicet in aeternum Christus consummatus sit, tum in gratia et

sanctitate, ut peccare non possit unquam: haec S. Chrysostomus, Theophylactus, Cœcumenus, tum in vita et gloria, ut sit immortalis, impassibilis et gloriosus; tum in sacerdotio et sacrificio, ut non indigeat plures offerre hostias, sed unica hostia et sacrificio expiarit omnes homines; pretiumque solvitur pro omnibus omnium hominum peccatis. Opponit enim Apostolus has Christi perfectiones et consummationes infirmitati sacerdotum veterum.

Nota: Singula verba Apostoli hic efficacem continent antithesim Christi et Aaronicorum. Christus factus est pontifex cum iurejurando Dei, Aaroni sine iurejurando; Christus post legem, quasi illi successurus, eamque adimpletur, sacerdotium inquit, Aaroni cum lege; Christus est filius, illi servi; Christus permanet in aeternum, illi temporanei sunt, sibi succedunt; Christus in gratia, gloria et beatitudine est consummatus, illi infirmitati mortis, verumnarum et peccati subjacent. Ita S. Chrysostomus.

CAPUT OCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Per anacephalosisin ostendit Christi sacerdotium præstare Aaronico tanquam corpus umbra; inde, vers. 6, a sacerdotio transit ad testamentum, docetque vetus testamentum æque ac sacerdotium abolitum esse per novum Christi, utpote quod leges Dei non scribat in tabulis lapideis, sed in corde et mente.

1. Capitulum autem super ea quæ dicuntur: Talem habemus pontificem, qui cœdit in dextera sedis magnitudinis in cœlis, 2. sanctorum minister et tabernaculi veri, quod fixit Dominus, et non homo. 3. Omnis enim pontifex ad offerendum munera et hostias constituitur: unde necesse est et hunc habere aliquid, quod offerat; 4. si ergo esset super terram, nec esset sacerdos: cum essent qui offerrent secundum legem munera, 5. qui exemplari et umbrae deserviunt cœlestium. Sicut responsum est Moysi cum consummaret tabernaculum: Vide (inquit), omnia facio secundum exemplar, quod tibi ostensum est in monte. 6. Nunc autem melius sortitus est ministerium, quanto et melioris testamenti mediator est, quod in melioribus repositionibus sanctum est. 7. Nam si illud prius culpa vacasset, non utique secundi locus inquireretur. 8. Vituperans enim eos dicit: Ecce dies venient, dicit Dominus: et consummabo super domum Israel, et super domum Juda, testamentum novum; 9. non secundum testamentum quod feci patribus eorum in die qua apprehendi manum eorum, ut educerem illos de terra Egypti: quoniam ipsi non manserunt in testamento meo, et ego neglexi eos, dicit Dominus. 10. Quia hoc est testamentum, quod disponam domui Israel post dies illos, dicit Dominus: Dando leges meas in mentem eorum, et in corde eorum superscribam eas: et ero eis in Deum, et ipsi erunt *m^{er}* in populum: 11. et non docebit unusquisque proximum suum, et unusquisque fratrem suum, dicens: Cognosce Dominum: quoniam omnes scient me a minore usque ad majorem eorum: 12. quia propitius ero iniquitatibus eorum, et peccatorum eorum jam non memorabor. 13. Dicendo autem novum, veteravit prius. Quod autem antiquatur et senescit, prope interitum est.

4. CAPITULUM AUTEM SUPER EA QUÆ DICUNTUR. — *g. d.* Caput, summa et compendium eorum quæ dixi et dico, de prestantia sacerdotii Christi, est id quod sequitur. Ita Syrus; vel, ut Chrysostomus, *capitulum* sive *caput*, id est, præcipuum et maximum, ad quod quasi ad scopum referuntur cætera quæ dixi de Christi pontifice, est id quod jam exponam. Verum prior sensus planior est, tum quia græce non est *κεφάλαιον*, id est *caput*, sed diminutive *κεφάλαιον*, id est *capitulum*, scilicet quia breve est et quasi compendium dierorum; tum quia revera Paulus hoc capite facit anacephalosisin, eaque quæ tota epistola disputat de prestantia novi pontificis Christi et infirmitate veterum, deque illorum abrogatione, hoc capite summatim complectitur et nervose confirmat (1).

Nota hebraïsmum, « super ea, » id est eorum. Sic enim Hebræi regimen genitivi subinde explant per *bet*, id est *in*, vel per *ayin*, id est *super*.

Talem habemus pontificem, qui cœdit in dextera sedis magnitudinis in excelsis. — Hoc est capitulum, summa et compendium dierorum, scilicet Christum non tantum Aaronicis sacerdotibus, sed et angelis longe præstare, et talem tantumque esse, ut supra omnes sedeat ad dexteram Dei.

Nota: « Sedes magnitudinis, » id est thronus majestatis, in quo scilicet sedet majestas Dei Patris, ita ut Deus Pater dicatur magnitudo, vel majestas; quomodo reges solemus vocare Majestatem regiam, et principes vocamus Celsitudinem. Vel secundo, « sedes magnitudinis, » sive majestatis, est sedes maxima et maxime augusta, summæque majestatis et gloriæ. Uterque sensus est Theophylacti, et uterque est ex phrasi Hebræica.

Porro Christus non tantum qua Deus, sed etiam qua homo sedet a dextris Patris: nam qua homo est pontifex. Audi S. Cyrillum in Concilio Ephesino, epist. ad Anastasium, etc.: « Quod autem incarnatum Verbum Deo consideat, et æqualis gloriæ sit cum Deo et Patre, etiam in carne, tanquam unus existens Filius, etiam quando factus est homo, manifestat sapientissimus Paulus scribens: Talem habemus pontificem, qui sedet in dextera throni magnitudinis in sublimibus. » in Christo enim idem est hic homo, et hic Deus, propter eandem hypostasim. Unde subdit Cyrillus: « Igitur etiam incarnatum Filium in divinitatis solio sanctorum Prophetarum chorus contemplatus est. »

IN EXCELSIS. — Græce *ἐν ὑψιστοῖς*, id est, *in cœlis*. 2. SANCTORUM MINISTER. — Quia Christus sanctos facit, estque auctor veræ sanctitatis, inquit Chrysostomus et alii, quia inter sanctos in cœlo transiens ministrabit eis. Verum vox *sanctorum* hic

(1) Rosenmüllerus verit. sed præter jam dicta, caput res est, scilicet, etc. *Κεφάλαιον*, ait, sæpe est id, quod in aliqua re excellit. Chrysostomus: *Κεφάλαιον* αὐτὸ τὸ μέγιστον λέγεται.

non est masculini generis, sed neutrius; neque homines, sed sanctuarium significat. « Sanctorum » ergo, id est, Sancti et Sancti sanctorum minister sacrorum publicus (hoc enim est *λαοκρατοῦς*), puta sacerdos et pontifex, est Christus. Id patet ex seq.; nam explicans τὸ *sanctorum*, subdit, « et (id est) tabernaculi (sanctorum) quod fixit Dominus, et non homo, » *g. d.* Christus est pontifex non veteris sanctuarii facti ab homine, scilicet Mose, quod constabat Sancto et Sancto sanctorum: sed novi, puta Ecclesiæ adumbratæ per vetus Sanctum et Sanctum sanctorum, quam fabricatus non Moses, sed Deus; nam *Sanctum* significabat Ecclesiam Christi ex terris ambulanti et tendentem in *Sanctum sanctorum*, id est, in cœlum, ad Ecclesiam triumphantem, *g. d.* Paulus: Christus tam Ecclesiæ militanti quam triumphantis est sacerdos, quia in militanti per sacerdos quotidie offert sacrificium Eucharistiæ, quod ipse primus in ea, dum viveret, instituit et instituit; in triumphanti vero est pontifex, quia ipse primus aperuit viam in cœlum, cum per suum sanguinem ingressus est in Sancta, æterna redemptione inventa, ut ait Apostolus, cap. ix, sibi quæ interpellat pro nobis.

Quod fixit. — Ergo cœlum neque movetur, neque rotundum est, sed fixum, fixeque in sua quadratura consistens, inquit S. Chrysostomus. Prius verum est, scilicet cœlum empyreum, in quo sunt Beati, non moveri, sed esse fixum et immobile. Posterius, scilicet quod sit quadratum, non sphericum, saltem quoad superficiem convexam, docet quoque Ludovicus Molina, in tractatu *De Opere sex dierum*, et Combricensis, lib. II *De Cælo*, cap. v, Quest. I, art. 2. Innuat quoque S. Joannes, *Apocal. xxi*, ubi de cælo loquens: « Civitas, inquit, in quadro posita est; » quod ad litteram, uti sonat, accipi potest. Verum melius hoc quadratum, uti et lapides, plateas, muros aliaque cœlestis illius civitatis ornamenta, quæ illo capite describit S. Joannes, accipies non ad litteram, sed symbolice: ut nimirum partim ad ornamtum, partim ad firmitatem, partim et maxime ad amplitudinem et commoditatem, quæ ad omnes mundi plagas obversa est, quadrata dicatur et proponatur: urbes enim quadratæ firmissimæ, ornatissimæ et commodissimæ sunt intrantibus et exantibus, utpote quæ quatuor quadraturæ suæ lateribus quatuor mundi plagas respiciant, ut per portas singulorum laterum egressi qualibet plaga homines directe in eam ingredi et egredi possint. Et hoc est, quod per hanc quadraturam cœli vult significare Joannes, scilicet a quatuor partibus eam respicere quatuor mundi plagas, in hisque singulis tres, id est multas et copiosas habere portas, quibus ab omnibus mundi plagis Sancti et electi in cœlum intrent. Respicit enim et explicat illud, quod dixerat vers. 13, civitatem hanc ab Oriente habere portas tres, tres ab Aquilone, totidem ab Anstro et ab

Christus publicus sacrorum minister

Sanctum et Sanctum sanctorum typum fuit Ecclesiæ

Cœlum empyreum non movetur, et est quadrata sicut cubitum aliquo.

Veritas esse sphericum.

Oceanus. Quare nihil est quod cogat nos dicere caelum empyreum esse difforme aliis caelis, esseque quadratum: adeoque quod Aristoteles et Philosophi, lib. II De Cælo, cap. iv, docent caelum esse sphericum, quia figura spherica perfectissima est et capacissima, caelo empyreo quoque attribui potest.

Ver. 3.

3. OMNIS CŪM PONTIFEX AD OFFERENDUM MUNERA ET HOSTIAS CONSTITUITUR: UNDE NECESSE EST ET HUNC HABERE ALIQUID QUOD OFFERAT. — « Hostiæ » sunt victimæ creuente; « munera, » inerte, ut dixi cap. v, vers. 4. Probat Apostolus illi, quod dixit vers. 2, scilicet Christum, licet sedeat a dextris Dei in caelo, esse tamen ibidem « Sanctorum, » id est sanctuarium, « ministrum » et sacerdotem, qui scilicet sacrificando, et sacras hostias ac munera offerendo, Deo ministret; id probat sic: Christus, licet sedeat in caelo, est tamen pontifex; atqui omnis pontifex offert munera et hostias: ergo et Christus in caelo suas hostias et munera offert, scilicet suum in cruce sacrificium, quod olim in monte Calvarie obtulit, nunc quoque ipsdum per continuam commemorationem Patris in caelo offert, cap. ix, vers. 12.

Oratio Christiani pro nobis offerre in caelo criticum.

Secundo et proprio, Christus in caelo offert sacrificia Missæ, quæ toto orbe quotidie celebrantur; in his enim primus et primarius sacerdos qui consecrat, offert et transsubstantiationem peragit, est Christus.

4. SI ERGO ESSET SUPER TERRAM, NEC ESSET SACERDOS: CUM ESSENT QUI OFFERERENT SECUNDUM LEGEM MUNERA (1). — q. d. Si tale esset sacerdotium Christi, quale vos, o Judæi, requiritis, ut scilicet Messias vester degat semper apud vos in templo Salomonis, ibique sacrificet et faciat ea, quæ fecerunt sacerdotes Levitici et Aaronici: « nec esset sacerdos, » græce οὐδ' ἐν τῆ ἐρείῃ, id est, ne quidem esset sacerdos et pontifex Christus: tum quia ad hoc terrestre sacerdotium, et terrestria ejus bona procuranda et impetranda sufficerent sacerdotes legales et Levitici, nec alio esset opus sacerdote secundum ordinem Melchisedech, scilicet Christo; tum quia Christus, si terrenus tantum esset sacerdos, non obtulisset hostiam Christo, id est Redemptorem et Salvatore, dignam, quæ scilicet dignificet ad nostram salutem. Nulla enim digna fuit hostia et sufficiens ad reserandum caelum, et caelestia bona salutemque nobis afferendam, præter ipsamet Christum in cruce immolatum, occisum ac terrestri vita defunctum. Ita Oecumenius.

Messias Judæorum non crederet esse pontifex terrenus degenans in templo Salomonis.

Ex hisce colligit Apostolus Christum non tantum in terra, sed et in caelo esse pontificem et Sanctorum ministrum, ut præcessit.

Ex hoc loco perperam intellectu, nuper qui-

(1) Dixerat Apostolus vers. 4 et 2, habemus Pontificem Maximum, qui... Sanctorum ministrus. Utinamque indictionem evoluit. Nam vers. 3 illustrat vocabulum ministrus, ejusque alii esse minus offerre. Vers. 4 vocem Sanctorum, id est caelestis, explicat, et quidam ab indi-

dam Faustus Socinus Senensis impium dogma conflinxit, illudque in Polonia et Hollandia sparsit, nimirum Christum sacerdotem non fuisse in terra, sed tantum in caelo, adeoque in cruce nihil obtulisse sacrificium aut lytrum redemptionis nostræ; ac consequenter Christum non fuisse Redemptorem et Salvatore, sed tantum Doctorem hominum, et qui sancta vita meritis sit, ut post mortem fieret sacerdos et pontifex in caelo. Unde ante crucem et resurrectionem eum fuisse quidem Prophetam, sed hominem tantum, qui proinde non aliter vocandus sit quam Jesus, tum esse Christum, itaque jam appellandum esse. Quod dogma blasphemum non tantum veterem arianismum, nestorianismum et pelagianismum renovat et superat, sed et Christum christianismumque totum evertit. Fundamentum veropisus ex hoc loco, et ex capite ix, vers. 11 et 24, ubi Apostolus ait, quod « Christus assistens pontifex futurorum bonorum introivit in caelum, ut appareat vultui Dei pro nobis, » petitum, nullum est: hisce enim et similibus locis tantum docet Apostolus Christum non solum in terra, uti fuit Aaron, sed etiam in caelo, esse pontificem nostrum, adeoque esse pontificem æternum, ut promiserat David, Psalm. cix, eo sensu, quo explici cap. vii, vers. 3 et 21.

Nam Apostolum velle et docere, quod Christum in terra, et in cruce fuerit pontifex, quodque proprie sacrificium suum expiatorium peccatorum totius mundi obtulerit in terra, non in caelo, ubi locus non est sacrificii, sed præmii, patet tum ex aliis, tum ex eo quod cap. ix, vers. 14, ait: « Sanguis Christi, qui per Spiritum Sanctum semelipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram; » ideoque subdit, sanguine Christi sanctum fuisse novum testamentum et fœdus, quo Deus nobis per Christi meritum, et sacrificium in cruce peractum remittit peccata, gratiam confert et præmittit caeleste regnum. Et vers. 26 et 28: « Christus, inquit, semel obtulit est (ubi, nisi in cruce?) ad multorum exhauriendam peccata. » Rursum, cap. x, vers. 14: « Una, inquit, oblatione (cruce) consummavit (Christus) in sempiternum sanctificatos. » Et passim ad Romanos, Galatas, Corinthios aliosque clamat Apostolus, Christum mortuum esse propter delicta nostra, et ab iis nos per opera legis non posse justificari, sed tantum per fidem et merita Christi: adeoque totus in eo est, ut doceat nullam esse aliam viam aut spem justitiæ et salutis, quam per sanguinem et mortem Christi, Chris-

recto. Sensus est: Quodsi enim (Christus) esset (Pontifex Max.) in his terris, plane non esset Sacerdos Maximum (nempe non esset quomodocumque sacerdos, qualis in Psalmo describitur), quum il tantum (in terra) habeantur Sacerdotes, qui ex præscripto legis sacrificia offerunt, qui inserviant figuræ et umbrae colli. Ita Alii qui multis.

etiam Pontifex Sacerdos Maximum, in terra fuit in caelo.

Ver. 5.

tumque in cruce immolatum, « qui factus est nobis justitia, sanctificatio et redemptio. » 5. QUI EXEMPLARI ET UMBRÆ DESERVIENT COLES- TIV. — q. d. Sacerdotes Levitici « deservunt » (græce ἀξιοῦσιν, id est, latra et magna reverentia servunt) tabernaculo, id est, Sancto et Sancto sanctorum; quod tantum est exemplar, græce ἑκδοῦσα, id est substentio, obscura pictura, representatio, typus et umbra rerum caelestium, que in Ecclesia tum terrena et militante, tum maxime celesti ac triumphante a Christo peraguntur. Nam primo, sacrificia et victimæ, quas in altari holocaustorum quotidie offerbant sacerdotes Levitici, significabant sacrificium Missæ, quod quotidie per sacerdotes suos in Ecclesia offert Christus.

Unde pulchre et vere Chrysostomus et Theophylactus, notant sacerdotium Leviticum fuisse tantum ἑκδοῦσα, id est obscuram et tenuem representationem sacerdotii nostri, nostrumque hic ab Apostolo vocari caeleste, quia caelestem habet hostiam, scilicet Christi corpus, ideoque angelos habet presentes; et quia caelestia bona impetrat, caelumque nobis reserat, et consequenter quia caelestem vitam a suis ministris requirit. « Hic, inquit, in nostris mysteris nihil terrestre est, sed omnia caelestia et spiritualia; ubi hymni angelici, ubi claves regni caelorum, ubi peccatorum remissio, et rursum nexus et ligatio, ubi nostra conversatio in caelis est, quomodo non caelestia sint quæ apud nos sunt? »

Secundo, quod pontifex immolatis hostiis cum sanguine semel in anno intrabat in Sanctum sanctorum, significat Christum per immolationem sui sanguinis et vite, ingressurum in caelum; ut ibi apud Deum noster sit pontifex, pro nobis interpellans nobisque caelum reserans, de quo dicitur cap. ix, ubi hæc ipsa caelestia vocat ipsum caelum, cuius exempla erant Sancta sanctorum Judaica et terrestria.

Nota hunc locum pro veneratione sanctorum imaginum. Apostolus enim hic dicit Judæos tabernaculo, tanquam ἑκδοῦσα, id est imaginem et picture rerum caelestium, invisibilium et divinaram, latrariam, summumque illius sæculi cultum impendisse: hoc enim significat verbum ἀξιοῦσιν. Judæi adorantes propitiatorum arce, Deum per illud representant, et in illo quasi throno suo residentem adorabant. Sicut enim in imagine sua coluntur Sancti, ita et Deus.

Sicut desponsus est (ἀρραβώτης, id est, divino Actum est) Mosi, cum consummaret tabernaculum. — « Consummaret, » id est consummare vellet, vel cogitaret, græce enim est ἀδελῶν ἑκδοῦσα, id est, cum consummaturus esset tabernaculum.

VIDE, INQUIT, OMNIA FACITO SECUNDUM EXEMPLAR, QUOD TIBI OSTENSUM EST IN MONTE. — Citat Exodi cap. xxxi, vers. ult., cuius sensus literalis hic est: Vide, o Moses, ut tabernaculum, candelabrum,

sacrificium Christianorum caelestem habet hostiam.

Locus pro veneratione et cultu imaginum.

Sensus literalis verbi.

arcam caeteraque quæ ad tabernaculum spectant, fabricas secundum exemplar quod tibi hinc quadraginta diebus, quibus mecum in Sina versaris, viva voce descripsi, et idea aliqua sensibili intuentum proposui. Hunc esse sensum litteralem patet ex antecessoribus, maxime cap. ix, ubi hæc ideam tabernaculi Mosi promittit Deus.

Secundo, allegorice, hæc idea tabernaculi, uti et ipsdum tabernaculum, idea erit Christi et Ecclesie: adeoque significat hoc loco Apostolus etiam ostensam fuisse Mosi ideam, seu exemplar allegoricum et analogicum, res videlicet caelestes, puta tabernaculum spirituale, scilicet Christi Ecclesiam tam militantem, quam triumphantem, quæ hoc materiali Mosaico tabernaculo significabatur; ita ut secundum hoc Ecclesie exemplar, Moses iussu sit fabricare sum materiale tabernaculum, eo modo et forma, ut Ecclesia quasi typo et exemplari suo responderet, illamque apte referret et representaret: ita ut Moses videret, saltem in genere et confuse, tabernaculum quod constructurus erat, ejusque altaria, vestes, victimas caeteraque vasa, esse typos, umbras et picturas, quibus Messias cum Ecclesia, bonaque ejus caelestia, ac præsertim sacerdotium et sacrificium Christi depingebatur. Ita docent Anselmus hic, et Beda, in cap. xxx Exodi.

Tropologicum vide Exodi xxxi, vers. ult.

6. NUNC AUTEM MELIUS SORTITUS EST MINISTERIUM, QUANTO ET MELIORIS TESTAMENTI MEDIATOR EST, QUOD IN MELIORIBUS TESTAMENTIS SANCTUM EST. — q. d. Christus melius et præstantius accepit sacerdotium, quam Levitici et legales sacerdotes: præstantius, inquam, tanto, quanto novum testamentum, cuius Christus mediator est, antecellit veteri, majoraque bona suis promittit: vetus enim testamentum terrena, novum vero caelestia bona spondet, promittit et præstat.

7. NAM SI ILLUD PRIUS CULPA VACASSET, NON UTI... QUO SECUNDI LOCUS INQUIRERETUR. — Pro culpa vacasset græce est ἄκαρτος, id est, fuisset irreprehensibile: culpam ergo legis vocat, non peccatum, quasi lex illa vetus aliquid mali contineret, uti voluerat Manichei. Fuit enim lex illa sancta, uti voluerat Manichei. Rom. vii, vers. 12; sed per epitasin et auxosim, culpam vocat infirmitatem et defectum legis, quia scilicet non poterat homines justificare et salvare: et hæc parte lex fuit quasi reprehensibilis et corrigenda. Lex enim Christi facile reprehendit legem veterem, eamque infirmitatis arguit, dum eam sustulit et abolevit, q. d. Si lex et testamentum vetus culpas et peccata tollere potuisset, si nullus in ea defectus fuisset superflendus et corrigendus, non quæretur locus secundi, id est non fuisset secundum, novum scilicet, testamentum in ejus locum introductum et surrogatum.

Nota hypallagen: « locus secundi, » id est secundum in loco, vel locatum et positum loco primi.

rum etiam hic ex Eccl.

Sensus allegoricus tabernaculi Mosaici.

Ver. 7.

Error Manicheorum potantiam legem veterem aliquid mali continere.